



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 24. Sociorum per Tucumaniam labores.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

Churiguani  
preficitur.

Moritur.

Laudatur.

TURIA

CAPUT

XXIII.

Sociorum  
per Tucu-  
maniam  
labores.

1604.

Joannes Ro-  
merus ad  
portum Eo-  
ni-aëris ex-  
cavat.

Societas ma-  
gneti compa-  
natur.

1604.

CAPUT

XXV.

Ludovicus  
Valdivia  
Chilenos  
Christo &  
Regi con-  
stitutio ad-  
laborat.

1605.

numeris labores successere, Churiguani mores avitos obstinatè retinentibus. Perseveravit tamen Ortega, cum Hieronymo Villarnao, Sacerdote impigo, in regione perversa, per biennium integrum, quo sine notabili fructu transacto, recrudescente cruris, cui spina inhælerat, dolore, Chuquisacam curationis ergò se contulit, ubi optimus senex ægititudinibus oppressus, inter exercitia Religiosæ pietatis, domesticis & externis utilem operam navavit: donec anno millesimo sexcentesimo vigesimo-secondo ad Carlos meliori sui parte evolaret, vir, si virtutes & facinora spectes, jure merito summis adnumerandus. Lusitania eum è nobili sanguine genuit, Brasilia juvenem educavit, Josephus Ancheta virum laborum comitem habuit, senio proximum Tucumania, & Paraquaria Apostolicis hominibus patria præstantem, mirata est: Peruvia exerto triumphum dedit: Nierembergius, & Joannes Rho Heroibus suis addidere: Cælum, ut spes est, piis ejus manibus apoteosim fecit. Ipse ego denique, quod mearum partium fuit, extra Provinciam abeunte sequutus, non deserui, donec Paraquarie nostræ decus singulare ultimis officiis prosequenter. Porro, ut hoc addam, nostrum Emmanuëlem nobilibus parentibus in Brasilia ortum, avunculum Episcopali pedo insignem habuisse, & ab ejus matre, selectissima matrona, Societatem nostram insignia beneficia accepisse, mihi inlemperto est. In Brasiliam navigare volenti, mater, & avunculus obstitere; sed ipse, animarum Christo lucrardarum desiderio inflammatus, agnata vincula rumpens, eò celerrimè properavit, quò ab Divino Numine impellebatur: quæ desideria in ipsa Brasilia inter studia, & cæteras Religionis exercitationes mirum in modum auxit. Itaque, devoratæ Barbarorum lingua, rebus agendis jam idoneus, multas Brasiliæ regiones utiliter percurrit. Una in expeditione centum leucas progressus, vix furibundorum Indorum laqueos evalit, narrantque in annosæ arboris concavo, Divi Xaverii exemplo, eorum infidias elusisse. Biennio integro Josepho Ancheta, Brasiliæ Provinciali, fuit à secretis: portentosæ ejus & Apostolicæ vita non magis spectator, quām spectator, à quo volens, lubensque in Australiores Americæ regiones navigare iussus, honestissimis facinoribus, suis temporibus à me denarratis, Societatem nostram decoravit.

**E**ODĒM planè tempore, quo Ortega in Peruviam abiit, Joannes Romerus ex præscripto Visitatoris Socios cogens, tamdiu in urbe apud se detinuit, quoque, refocillatis per religiosa quietaque exercitia viribus, rursus per Tucumaniam dispararet. Ex quo, more sequentibus annis ad praxim redacto, insignes planè inter Indos & Hispanos utilitates perceptæ sunt: nam, præterquam quod se invicem sermonibus & exemplis inflammarent, varias Indorum linguas, atque cicurandæ eorum feritatis, modum technas Dæmonum extricandi, & conscientiarum nodos dissolvendi, mutuo magisterio perdiscebant. At cum se rursus Deo pleni effundebant, conceptas per sacrum otium flamas in omnis generis homines miro animorum motu spargebant. Joannes Romerus, extra Tucumaniam etiam excurrens, ad portum Boni-aëris, per desertam centum & viginti leucatum planitiem, curam suam extendit; ad quem audiendum cum concurrere undique frequentes Barbaros, præter morem, cerneret, Episcopus Societatem Magneti comparavit, ferrum & ferreos homines ad se occultâ vi trahentem. Anni hujus saeculi tertius & quartus, Apostolicis ad varias Indorum terras excursionibus, quāmplurimis eorum millibus Sacramento procuratis, magna ex parte consumpti sunt: quibus utilitatibus sigillatim enucleandis supercedeo, ne lectoribus, novas res in Historiâ amantibus, fastidio sim.

**A**NNO saeculi decimi-sexti quinto, res Chilenses, Alfonsi Riberæ Prætoris fortitudine, utcumque contra rebellis firmatae erant: & progressum habituræ videbantur, nî Præturam importunâ admodum tempestivitate vertere iussus fuisset. Ipse Chilenam militiam ad Belgicæ recentia præcepta instruxerat: hostes, ut in Hollandorum finibus sit, constructis passim castellis, præsidio firmatis, coeruerat: rebellis multis cladibus affecerat: quāmplurimos Hispanos, factis irruptio-

nibus,